

contra hæreticos specialiter doctrinam tradebat: non tamen omittit generalem doctrinam, cum inquit: *Nemo autem quantumvis justificatur, liberum se ab observatione mandatorum putare debet*: si ergo nemo excipitur ab hac obligatione, omnes prorsus homines in hoc mundo legibus subjecti sunt. Potestque hoc ostendi inductione quadam: nam homines a principio suæ creationis subjecti fuerunt legi naturali, et præterea Adam et Eva legem habuerunt non comedendi de ligno scientiæ, etiamsi essent justis et in statu innocentiae. Præterea post peccatum, et ante Christi adventum manifestum est Judæos fuisse sub lege scripta, et reliquos homines sub lege naturali (ut nunc omittamus leges humanas), et hoc ex professo docet Paulus in Epist. ad Roman., cap. 1 et 2, ostendens tam Judæos quam Gentiles prævaricatores fuisse legis, illos scriptæ, hos naturalis, quam scriptam in cordibus ostendebant, quando aliqua ex parte illam servabant. Illæ autem leges non minus obligabant justos quam injustos, quia indifferenter pro omnibus positæ sunt. Et lex naturalis per se, et ab intrinseco, ante, et post justitiam, vel injustitiam obligat: lex vero scripta a justis incepit; nam toti illi populo fidei, in quo erat Moyses, Aaron, et multi alii justis, data est, et prius lex circumcisionis data fuit Abrahæ, qui erat justus.

4. Post Christi vero adventum extra Ecclesiam non sunt justis, et ideo de hominibus qui omnino sunt extra illam solum dicere possumus, Gentiles infideles teneri eadem lege naturali, quia non est dispensatum cum illis, nec aliqua gratia illis facta est. Et præterea certum est eos teneri ad recipiendam fidem et Christi legem, ipsomet Christo attestante: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Quod vero spectat ad Judæos, etiam est manifestum eos obligari lege naturali, et teneri eodem præcepto quo Gentiles ad recipiendum Baptismum ac legem Christi, quod clarius expressit Marc., cap. ult., dicens: *Prædicare Evangelium omni creaturæ, etc., qui non crediderit, utique fide viva et per charitatem operante, condemnabitur*: et præterea isti Judæi, quamvis jam revera non obligentur lege scripta, quia sublata est, tamen ex conscientia erronea illam non servando peccant: nam Paulus *testificatur omni circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ, ad Galat. 5.*

5. *Mali Christiani lege evangelica obligantur.*— Venio ad Christi Ecclesiam, de qua peculiariter loquuntur hæretici, et in ea distinguo malos a bonis, seu justis. De malis, evidens est eos obligari lege, quandoquidem ideo mali sunt, quia legem non servant. Dicent forte hæretici non ideo hos esse peccatores, quia simpliciter præcepta non servant, sed quia infideliter ea non servant, id est, quia dum contra illam operantur, non habent firmam fidem quod talia mala opera sibi non imputentur nec propter illa amittant Dei benevolentiam et favorem, in quo isti justitiam ponunt. Sed refellitur facile hic error ex verbis Christi, ubi in sententia condemnationis malorum Christianorum, non damnat illos, quia non crediderunt, nec quia transgredientes præcepta fiduciam non imputationis non habuerunt, sed simpliciter quia opera misericordiæ non fecerunt, ac subinde quia legem misericordiæ et charitatis non servarunt, ut ponderavit Augustinus, lib. de Fid. et operib., c. 15, et lib. de octo Quæstionibus ad Duleit, cap. 1, ubi plura alia testimonia Scripturæ ad hoc confirmandum congerit. Sed de hac etiam parte non oportet plura hic dicere, quia quoad hos baptizatos pravos non negant etiam hæretici subjectionem ad legem, sed errant in modo explicandi, de quo statim aliquid dicemus, et latius in materia de Gratia et de Fide.

6. Superest ergo dicendum de fidelibus justis, ex quibus quidam esse possunt baptizati tantum in voto, qui eo modo dicuntur esse de Ecclesia, seu merito, licet non numero: alii vero sunt baptizati in re, et de numero vivorum membrorum Ecclesiæ. De prioribus manifestum est obligari saltem lege Baptismi, ultra obligationem legis naturalis, et fidei, spei, charitatis et poenitentiae: de baptizatis autem etiam justis, quod obligentur legibus humanis tam civilibus, quam ecclesiasticis, et lege etiam divina positiva a Christo lata, ostendimus infra in suis locis: nunc ergo probatur de lege divina morali, seu naturali. Primo, quia hæc est tam intrinseca, et per se necessaria, ut auferri non possit, ut in libro sequenti ostendemus.

7. Secundo, quia Christus illam non abstulit, imo illam stabilivit statim in initio prædicationis suæ, Matth. 5, ubi illam magis declaravit, et a corruptionibus Pharisæorum, vel imperfectionibus legis Mosaicæ expurgavit, et additis consiliis, et mediis ad observandam illam, eam perfecit, et quodammodo auxit. Certum est autem totam illam doctrinam da-

tam fuisse a Domino pro sua Ecclesia futura, et tam pro justis quam pro injustis: nam ad omnes dicit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum, et quæ sequuntur*. Et maxime ponderandum est illud Matt. 7: *Intrate per angustam portam*: vocat enim aperitissime *angustam portam* observationem mandatorum, quæ mandata dicit in illo principio comprehendere: *Quæcumque vultis ut vobis faciant homines, et vos facite illis*, quod docet etiam ad Evangelium pertinere, et ad omnes qui illud profitentur.

8. Tertio, omnia quæ Christus in nocte Cænæ docuit de observatione præceptorum, et præsertim charitatis, ad justos baptizatos maxime pertinent: justis enim et baptizati erant Apostoli, ad quos dicebat, Joan. 14: *Si diligitis me mandata mea servate*, et infra: *Qui habet mandata mea, et servat ea, iste est qui diligit me*, et infra: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, et cap. 15: *Manete in dilectione mea; si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*; et infra: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*. Quæ conditionalis habet vim comminationis, et necessitatem indicat observandi mandata ad conservandam charitatem: ergo justis tenentur servare mandata, et sine hac observantia justitiam non servabunt. Possunt infinita similia ex Scripturis adduci, sed non oportet immorari in re clara, et evidente lumine naturali, saltem quoad præcepta moralia.

9. *Fit satis fundamentis hæreticorum.*— Fundamentum hæreticorum plures involvit errores, quos hoc loco tractare non possumus, sed in variis locis hujus operis tractandi sunt: nam primo, quod dicunt impossibilia esse divina mandata, supra jam rejectum est, et ex tractatu de Gratia fiet evidentius. Secundo, ibidem repellitur, quod aiunt, omnia opera justorum esse peccata, præsertim mortalia. Tertio, veram differentiam legis veteris et novæ trademus in fine hujus tractatus, et falsam ab hæreticis confictam impugnabimus. Quarto, radicem omnium hæresum, quæ est imputata justitia, in materia de Gratia evellemus, ibique ostendemus homines vere, et re ipsa, ac intrinsece justificari per inhærentem justitiam per Christum datam, et per eandem vere et radiciter remitti peccata, et non tantum tegi, seu ad poenam non imputari: unde certum esse constabit opera justorum ita aestimari et reputari, ac imputari a Deo, sicut re vera sunt: unde si sint bona opera, imputan-

tur ad præmium, si mala levia, ad poenam temporalem, nisi per poenitentiam et satisfactionem deleantur: si peccata gravia, ita imputari ut ipsam justitiam destruant, donec per poenitentiam reparentur.

10. Fundamentum ergo hæreticorum etiam naturali lumini contrarium est, et divinæ bonitati valde repugnans: non potest enim non displicere Deo peccatum, ut peccatum est: nam, Sap. 14, *odio est Deo impius, et impietas ejus*. Item repugnat divinæ justitiæ eo facilius remittere, vel non imputare peccata, quo majori fiducia in ipsomet Deo fiunt, quasi ipse dederit licentiam peccandi, promittendo non imputationem eis qui illam crediderint: eo vel maxime, quia vana et ficta est talis promissio: nullibi enim in Testamento novo habetur magis quam in veteri: imo ait Paulus, Roman. 2, secundum Evangelium Deum esse judicaturum occulta hominum per Jesum Christum, utique secundum legem et veritatem, non secundum falsas hominum existimationes. Denique interrogo ab his hæreticis, an homines ante Christi adventum justificarentur in fide Christi, nec ne? Nam, si negent, magnam injuriam universali redemptioni Christi inferunt, et repugnant expressis locis sacræ Scripturæ, Actor. 4: *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, sub quo oporteat eos salvos fieri*. Illum enim solum posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, teste Paulo ad Roman. 3. Si autem affirmant, semper justificationem factam fuisse per fidem: ut consequenter loquantur, oportet ut dicant semper factam fuisse sine lege et operibus, et per non imputationem cum sola fiducia ex parte hominum: ergo dicere cogentur, etiam justos in statu legis naturæ, aut veteris non fuisse legi obnoxios, nec peccasse contra illam, etiamsi illam transgredierentur, dummodo id facerent cum fide non imputationis: quid ergo est quod specialiter Evangelio attribuunt? est ergo impium, et vanum tale fundamentum.

CAPUT XIX.

EXPLICANTUR ALIQUA SCRIPTURÆ TESTIMONIA
QUIBUS HÆRETICI ABUTUNTUR.

1. *Prima objectio hæreticorum.*— *Alii qui exponunt locum Pauli de lege veteri, quæ justis, id est, Christianis justis non est imposita.*— *Excluditur expositio.*— Superest ut testimonia Scripturarum expendamus quæ in favorem

sui erroris hæretici adducunt. Primum sumitur ex verbis Pauli, 1 Timoth. 1 : *Justo non est lex posita*. Quæ verba aliqui volunt exponere de lege veteri, ita ut sensus sit illam non esse positam justis, id est, Christianis per gratiam juste viventibus. Quæ expositio sumi potest ex Anselmo ibi, et ex contextu : nam Paulus monebat Timotheum, ut corripere quosdam falsos doctores, qui falsam doctrinam de lege tradebant, et ideo ipse subdit bonam esse legem, utique scriptam, illam tamen non esse imponendam justis, quia non est justo posita. Sed expositio non satisfacit : tum quia licet sit verum Paulum loqui de lege scripta divina, tamen sententia ejus de se universalis est, et eandem rationem habet in omni lege, ut constabit : tum etiam quia per justum non possumus intelligere solos justos legis Evangelicæ, sed absolute justos, etiam qui fuerunt, quando lex illa lata est : nam Paulus absolute loquitur de justo, distinguendo illum ab injustis et transgressoribus. Ex illa vero sententia sic intellecta nihil possunt hæretici colligere, quia negare non possunt quin lex vetus obligaverit justos illius populi, pro quo lata est : ergo verba illa *Justo non est lex posita*, non possunt habere hunc sensum, id est, non obligant justum : imo ad hominem argumentari possumus contra eosdem novos hæreticos : quod necesse sit, ut fateantur legem esse impositam tali justo, qualem ipsi confingunt ; quia ille potest esse fornicarius et perjurus, etc., et tamen Paulus ait, hujusmodi hominibus legem esse positam.

2. *Legem non esse positam justo quoad vim coactivam, esse tamen quoad directivam communis est expositio.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Quid ergo est justo non esse legem positam ? Communis expositio scholasticorum est intelligi de lege, non quoad vim directivam, sed quoad coactivam : nam lex posita est ad obligandos etiam justos, non tamen ad cogendos illos, quia illi non indigent coactione ; ita D. Thomas, d. quæst. 96, art. 5, ad 1 ; et ibi Cajetanus, Soto, et omnes ; Soto etiam lib. 3 de Natura et grat., cap. 4, Vega, lib. 11 in Trid., cap. 8, Salmeron, disp. 2, Epist. 1 ad Tim. 1, Bellarminus, lib. 3 de Peccato primi hominis, cap. 1. Dicit aliquis : ergo si justus ageret contra legem, non incurreret pœnam legis, quandoquidem vis coactiva legis non cadit in illum, sicut princeps agens contra legem non incurrit pœnam ejus, quia non comprehenditur sub lege quoad vim coactivam, sed quoad directivam tantum. Respondetur negando

consequentiam : non enim in eo sensu dicitur justos non cogi lege, quia non obligentur vi coactiva ejus ; sed quia de facto non coguntur, sed Spiritu Dei ducti valde voluntarie legi obsequuntur. Instabis : quia hoc modo etiam dici potest legem non esse positam justo quoad vim directivam, quia ita operatur justus bonum ex amore justitiæ et honestatis, ut non sit minus illud operaturus, etiamsi lex illi non imponatur. Respondetur non esse similem rationem : tum quia lex quoad vim directivam est lumen ostendens viam salutis, et ex hac parte est per se necessaria justis, tum etiam quia sæpe honestas actionis per se pendet a lege, vel simpliciter quia sine lege actio esset indifferens, vel saltem quoad necessitatem, quia sine lege omissio actus non esset mala, et ideo seclusa coactione legis, obligatio ejus directiva est per se necessaria, ut voluntas justis ab intrinseco moveatur secundum legem, quia fortasse sine lege non faceret illum actum, sed alium, quia omittere talem actum, tunc non esset malum.

3. Aliqui vero moderni impugnant hanc communem doctrinam, solum quia multi sunt justis qui moventur ex timore pœnæ ad vitanda peccata, ut de incipientibus constat ex Trident., sess. 6, cap. 6, et de proficientibus etiam ostendi potest, quia de sola perfecta charitate dixit Joannes, 1 Epist., cap. 3, foras mittere timorem ; ergo imperfecti in charitate sæpissime moventur ex timore pœnæ : ergo pro majori parte ponitur lex quoad vim coactivam etiam justis, et in eis suam virtutem exercet. Nec satisfacit quod aliqui respondent, cum dicitur, justo non esse legem impositam, intelligendum esse tantum de perfectis. Hoc enim non consonat contextui Pauli : nam statim subjungit, *sed injustis* : at imperfecti non possunt dici injusti : ergo etiam illis non est lex posita ex mente Pauli.

4. Nihilominus dico argumentum non esse magni momenti, quia sermo Pauli recte intelligi potest formaliter (ut sic dicam) et quantum est ex parte justitiæ, sicut Joannes dixit : *qui natus est ex Deo non peccat*, utique si prout natus est operetur ; ita etiam justus, quantum est ex parte justitiæ, non indiget coactione legis, nec illa movetur. Quod videtur sensisse Cajetanus ibi dicens : *Formalis est sermo Pauli : nam cum medium legis sit pœna, et justus, quatenus justus, nulli sit obnoxius pœnæ, formaliter verificatur, quod justo non est lex posita*. Favetque Augustinus de Spiritu et littera, cap. 10, dicens : *Injustus legitima lege utatur, ut justus*

fiat, quod cum factus fuerit, ea jam non utatur tanquam vehiculo, cum pervenerit, vel potius tanquam pædagogo, cum eruditus fuerit. De omni ergo homine jam justificato, ut talis est, intelligit, illi non esse legem positam, utique ut vehiculum, aut pædagogum, quo perducat ad gratiam : dicitur autem lex vehiculum, et pædagogus, quatenus terret et cogit : unde de justo subjungit illi esse necessariam legem : *Non qua injustus ad justificantem gratiam perducat, sed qua legitime iam justus utatur*.

5. *Judicatur probabilis dicta expositio.* — Est ergo valde probabilis dicta expositio, quam aliis verbis tradidit Augustinus, Conc. 11, in psal. 118, ubi tractans verba illa, *legem pone mihi, Domine*, etc., dubium proponit, an David, cum hoc petebat, esset injustus, vel justus : nam primum dici non potest, cum proxime ante illa verba dicat idem Propheta : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* : si vero dicatur secundum, quomodo David petebat sibi legem poni, quam Paulus negat poni justo ? Et respondet : *Eo modo non ponitur justo quo posita est populo contumaci in tabulis lapideis, non in tabulis cordis carnalibus, sed secundum vetus Testamentum*, et infra in summa dicit, justum David petisse sibi legem, *sicut sanctis filiis liberæ*, vel sicut postea Deus promisit : *Dabo legem meam in mentibus eorum, et in cordibus eorum scribam eam*, Jerem. 31, et Hebr., c. 8, et infra ait petisse legem, *quam faceret diligendo, non in timoris angustiis : nam qui timore pœnæ (ait) opus legis facit, invitatus facit*, etc. Intelligit ergo legem, ut terret, cogit, et invitum inducit, non esse positam justo : hoc autem est, quod scholastici dixerunt, non imponi quoad vim coactivam ; et hanc totam sententiam Augustini habet Anselmus in expositione illius loci. In eadem sententia est Ambrosius, libr. 3 Officiorum, cap. 5, cum dixisset justum non minus vitare peccatum, si possit latere, quam si non possit : *Non enim latebra sapienti spes immunitatis, sed innocentia est*, subjungit : *Denique lex non justo est posita, sed injusto, quia justus legem habet mentis suæ, æquitatis, ac justitiæ suæ normam, ideoque non timore culpæ revocatur à culpa, sed honestatis regula*. Quomodo dixit Aristoteles, l. 1 Rhetoric., cap. 14, eum esse vituperandum, qui justitiam secundum leges scriptas solummodo servat : nam scripta (inquit) coacti servant ; melior autem qui non coactus justus est.

6. *Legem justo non esse positam, quia illi*

nociva non est, ut alii exponunt. — Alia expositio est justo non esse legem positam, quia non facit illum reum pœnæ, nec est illi nociva, sed utilis, et videtur quadrare contextui. Dixit enim Paulus *bonam esse legem, si quis ea legitime utatur*, quasi subintelligens ei esse onerosam, et suo modo nocivam, qui male illa utitur, ut significat Anselmus, nam ita exponit : *Scientes, quia justo non est lex posita, id est, imposita, ut supra illum sit : in illa enim est potius quam sub illa ; quia non sua vita vivit, cui coercendi lex imponitur : injustus vero sub illa est, quia sua vita vivit, cui coercendi lex imponitur*. Clarius expressit hunc sensum Salvianus, lib. 5 de Provident., in principio, ubi reprehendens eos qui dicebant mandata Dei nocere Christianis qui non servant illa, quia gravius punientur quam si illa ignorarent, respondet non legem nocere, sed mores, et ad hoc adducit dicta verba Pauli, et subjungit : *Justus esse incipe, et eris liber a lege*, id est, a pœna legis : *Quia non potest venire lex contra mores, quæ jam habetur in moribus*. Et infra expendens, quod Paulus ait legem esse positam injustis, sceleratis, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, concludit : *Ac per hoc non tam lex tibi, o homo, quam tu legi adversaris, nec lex contra te bene præcipiendo, sed tu contra legem male vivendo agis*. Hanc etiam interpretationem amplexus est D. Augustinus ad Galat. 2, et D. Bernardus, Epistola ad Carthusianum et Guidonem, quos postea secutus est D. Thomas ad Thimoth. 1, lect. 3. Potest vero hæc expositio ad priorem reduci, nisi quod hoc modo, legem non esse positam justo, idem est, quod non adversari justo, et non punire illum : juxta priorem autem expositionem, legem non imponi justo, idem est, quod non propter illum pœnam minari : utrumque autem est, non exercere in illum uno, vel alio modo suam vim coactivam.

7. *Probabilior expositio legem justo non esse positam, id est non propter justum latam, sed propter injustos.* — Sed licet hæc probabilia sint et in se vera, forte pro loco Pauli non sunt necessaria. Quia censeo, ad litteram loqui de lege scripta, et ibi non considerare in illa, quod fuerit lex timoris, vel quod puniat peccatores, et non justos, quod commune est omni legi, et tam clarum et superfluum videatur, et nihil conferens ad intentionem Pauli : sed considerasse legem illam non esse per se datam propter justos, sed propter peccatores. Lata est enim lex illa ad retrahendos Judæos a peccatis idololatriæ, et aliis vitiis ad quæ

erant maxime propensi. Cui expositioni subscribit Epiphanius, lib. 2 contra Hæres. 66, ad finem, explicans hunc locum Pauli: *Quandoquidem, inquit, justo non est lex posita, iniquus ergo est justus? absit. Sed quoniam anticipavit justus perficere ea, quæ sunt legis, non est lex contra justum, qui fecit legem, verum posita est contra eos qui deliquerunt, judicans iniquos: sic igitur et testamentum, jubet enim homicidas occidi*, etc. Præterea confirmatur hæc expositio ex illo ad Galat. 3: *Quid igitur lex propter transgressionem posita est*, id est, occasione transgressionum, et ad coercenda hominum vitia fuit posita, ut Chrysostomus tam ibi ad Galat. 3, quam hic 1 ad Timoth., et alii Græci et Hieronymus exponunt. Vel potest exponi cum Augustino, *propter transgressionem*, id est, ut manifestaretur peccatum, et hominum fragilitas ad vincendum illud; quia ergo Paulus in loco, quem tractamus, reprehenderit vanos legis doctores, qui non intelligebant neque ea quæ loquerentur, neque ea quæ affirmabant, subjungit hunc defectum esse ex parte eorum, non ex parte legis, quia *lex bona est, si quis ea legitime utatur*. Et consequenter adjungit quid necessarium sit ad ea legitime utendum, nimirum, *Scientes quia lex justo non est posita*, id est, non occasione justorum, quia illa non indigebant, sed *propter injustos, idololatrias, etc.*; subintelligens, si quis hoc sciat, legitime usurum lege, ut D. Thomas ibi ait, non plus ei tribuendo quam quod ei convenit: non enim est data propter suam perfectionem, sed ut per illam ostenderetur hominum propensio ad peccandum, et ut esset pædagogus homines ad Christum ducens, et custodiens *conclusos in eam fidem, quæ revelanda erat*, ut dicitur ad Galat. 3. Et ita quadrat optime expositio Augustini in dicto lib. de Spiritu et littera, cap. 9 et 10, et illam etiam attingit Chrysostomus homil. 2, in dictam epistolam, quem Theophyl. et alii sequuntur; quamvis primam etiam expositionem admittant. Addi etiam potest, sententiam illam, *Justo non est lex posita*, videri sumptam non solum ex peculiari facto legis veteris, quamvis ad illud recte fuerit accommodata: sed etiam ex generali conditione legum, quæ frequentius ponuntur ad coercenda vitia, quam ad studia virtutum promovenda: nam, ut ibi D. Thomas ait: *Si omnes essent justis, nulla necessitas esset dandi legem, quia omnes essent sibi lex*. Sic etiam dixit Cicero, lib. 2 de Legib.: *Leges improbos supplicio afficiunt, et defendunt ac tumentur bonos*.

8. *Objectio*.—Sed contra objci potest: nam homini in statu innocentiae posita fuit lex non comedendi de ligno vitæ, et statim posita est cum minatione pœnæ mortis, *In quacumque die*, etc., Genes. 2, et tamen tunc homines erant justis et innocentes, quia nunquam peccaverant: ergo lex etiam quoad vim coactivam non solum ponitur justo, sed etiam ponitur sine occasione peccati, nec propter coercenda peccata. Et fere similis objectio fieri potest ex lege circumcisionis posita Abrahamæ jam justo, Genes. 17. Ad hæc vero facile respondere possumus, concedendo non esse necessarium ut leges omnes imponantur occasione peccati: aliquando enim imponuntur propter exercendam virtutem: neque id negavit Paulus. Sed loquendo de lege scripta dixit, illam esse datam illa occasione, quod verissimum est, et similiter est verum leges humanas frequentius ferri propter coercenda vitia: non est tamen hoc semper necessarium, nec de ratione legis.

9. Unde in priori exemplo posita fuit illa lex propter exercendam hominis obedientiam, et subjectionem, et humilitatem, et alias virtutes, ut recte notavit Augustinus in Genes., de præcepto primis parentibus imposito: *Oportebat, inquit, ut homo ab aliquo prohiberetur, ut esset ei virtus merendi obedientia*. Quod vero addita fuerit comminatio, non fuit quia homo ex vi perfectionis illius status illa indigeret, sed aliis de causis, ut ad exaggerandam gravitatem præcepti, a cujus observantia bonum totius naturæ pendeat, et propter mobilitatem liberi arbitrii frænandam, quæ poterat totam illam perfectionem gratiæ deserere, et se ab illa subtrahere, sicut fecit: et ita non est negandum comminationes fieri justis et esse utiles illis, sed solum dicunt auctores supra citati, non pro illis principaliter poni, neque illis præcipue moveri, si ut justis sunt operentur. Idemque accommodari potest ad legem circumcisionis, de qua minor est difficultas, quia illa data fuit occasione peccati, et in remedium ejus.

10. *Ratio cur facta fuerit comminatio primis parentibus violentibus præceptum in paradiso*.—Addi denique potest, cum dicitur lex non imponi justo, proprie intelligi de lege externa et scripta, quæ ponitur præcipue ad renovandam legem, quæ deberet esse scripta in cordibus et est quasi oblitterata, seu oblivioni data propter peccata. Talis enim lex non datur, nec scribitur in tabulis, vel membranis, nisi propter peccatores, qui sine illa tanquam sine lege viverent, ut recte docuit Bellarmi-

nus, lib. 3, de Statu peccati, c. 1, allegans in eam sententiam Ambrosium in id Psalmi 36: *Lex Dei ejus in corde ipsius*, ubi sic ait, *In corde justis lex Dei est. Quæ lex non scripta, sed naturalis: justo enim non est lex posita, sed injusto*. Quibus verbis virtute interpretatur illa verba de lege scripta, quatenus est renovatio legis, quæ debet esse scripta in corde. Et idem significavit Augustinus circa illa verba Psal. 1: *In lege Domini voluntas ejus*, adducens etiam dicta verba Pauli, et subjungens: *Aliud est lex, quæ scribitur et imponitur servituti, aliud est lex quæ mente conspicitur ab eo, qui non indiget litteris*. Quando ergo lex non ponitur exterius ad renovandam legem naturalem, seu internam, sed omnino de novo ponitur, nihil vetat quin ponatur sine ulla occasione peccati, et æque pro justis ac pro injustis, non solum quoad obligationem (quod omnibus legibus cum proportionem commune est) sed etiam quoad occasionem, vel peculiaritatem intentionem legislatoris in ponenda tali lege. Talis autem fuit lex lata primo homini ante peccatum: illa enim non pertinuit ad legem naturæ, nec fuit renovatio ejus quæ erat in corde, sed fuit determinatio specialis, quæ pro justis sine ulla occasione peccati constitui potuit.

11. *Secunda objectio hæreticorum*.—*Prima expositio Ambrosii intelligens per legem, legem peccati seu fomitis*.—*Excluditur expositio*.—Secundo, principaliter objiciunt hæretici verba Pauli ad Galat. 3: *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege*. Justis autem Spiritu ducuntur: nam desideria carnis non perficiunt quæ sine ductu Spiritus vitare non possent, ut ibidem significatur: ergo non sunt sub lege; ergo non obligantur lege. Circa hoc testimonium duo a nobis explicanda sunt: primum, de qua lege Paulus ibi loquatur; secundum, quid sit esse sub lege: inde enim facile constabit quid sit etiam non esse sub illa. Circa primum Ambrosius ibi videtur per legem intelligere legem peccati, seu fomitis, quia præmiserat Paulus: *Spiritu ambulate, et desideria seu concupiscentiam carnis* (ut legit Ambrosius) *non perficietis*: concupiscentia autem lex fomitis est, et ita intelligit Ambrosius ibi Paulum opposuisse legem Spiritus legi fomitis, et ideo postea dixisse, qui Spiritu ducuntur non esse sub lege fomitis. Verumtamen, quia ibi non disserit Paulus de concupiscentia sub nomine legis, et quia inferius post enumeratos fructus Spiritus subdit: *adversus hujusmodi non est lex*, quod de lege fomitis intelligi non po-

test, et quia tota intentio Pauli ibi dirigitur ad legem scriptam, ideo cum communi sententia supponimus Paulum ibi loqui de lege veteri, seu scripta.

12. *Secunda expositio Hieronymi intelligens per legem, legem cæremonialem*.—Quia vero lex illa, et moralia et cæremonialia præcepta continebat, dubitari potest sub qua ratione de illa loquatur. Et quidem Hieronymus, Epistol. 89 ad Augustinum, videtur intelligere illum locum de lege quoad præcepta cæremonialia: nam conjungit cum eo præcedentia verba, *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini*, ubi constat sermonem esse de lege cæremoniali, quam statim vocat idem Hieronymus *præcepta legalia, et non bona, et justificationes, in quibus non viverent*, ut dicitur Ezechiele 20, et hanc expositionem ut probabilem sub disjunctione ponit Cajetanus in eodem loco.

13. *Tertia expositio Augustini intelligens per legem, tam cæremonialem quam moralem*.—*Ultima expositio duas præcedentes connec-tens*.—Alii vero sentiunt illa verba intelligenda esse de lege, etiam quoad præcepta moralia, quia Paulus proxime ante dixerat: *Omnis enim lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Quod præceptum morale est, et omnia moralia virtute continet: et quia hoc præceptum non violatur, nisi ex inordinata concupiscentia temporalium honorum, subdit: *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis*, quasi diceret, et hoc modo implebitis præceptum illud: *Non concupisces*, quod etiam morale est, et deinde adjungit: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*; utique sub lege diligendi proximum, et non concupiscendi inordinate. Atque ita Augustinus, lib. de Natura et grat., c. 57, locum hunc intelligit de lege, *Non concupisces*: et clarius epistol. 19 ad Hieronymum rescribens ad ejus epistolam, ubi referens paulo antea, et tacite corripens expositionem quam ipse indicaverat, inquit: *Neque enim hoc propter circumcisionem arbitror dicere, nec propter sacrificia, etc. Sed hoc ipsum etiam, quod lex jubet, Non concupisces, quod fatemur certe Christianos debere observare*. Et hæc expositio vera est, si ita intelligatur, ut non de solis cæremonialibus, sed simpliciter de tota lege, etiam includente moralia præcepta. Arbitror autem hoc non negasse Hieronymum citato loco, ut statim dicam.

14. Circa secundam dubitationem, Ambro-